



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum XCIX. Æolus, ventorum Deus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XCIX.

Æolus, ventorum Deus,

Ex Varis.

Ethicè.

1. Laudati Principis officium.
2. Affectuum suorum moderator.
3. Feminarum imperium.
4. Suspicio parensitarum.
5. Plus potest moderatio, quàm impetus.
6. Ventorum Symbola.
7. Quinam sint Æoli.

Fuit Æolus Jovis, & *Sergeſta*, seu *Alceſte* filius, nepos *Hippota* Troiani, unde dictus *Hippotades*. Sedem habuit in insula *Æolia*, inter Italiam & Siciliam interjectâ. Hac in regia *Ventis* imperat, quos vasto inclusos antro, & omni vi conantes erumpere.

Imperio premit, ac vinculis & carcere frenat.

Indignantur illi quidem, impatientes custodiae, magnoque cum murmure circum claustra & portas fremunt, sed incassum. Æolus scepro potens compescit reluctantes, & furentium cohibet impetum, ne perfringant seras, emoliantur exitum, & in mundum rabiem suam effundant. Sin' aliter visum, & placeat frena remittere flabrorum turbulentia, cuspide sceptri cavum, quem inhabitat, montem concutit, in latus impellit, laxatque per immanem hiatus spatio, fores & viam aperit prorumpere gestientibus. Illi igitur patefactâ portâ, ocyus veluti facto agmine pronunt, & tanto perflant terras turbine, maria quoque & æthera, ut videantur omnia ab imis sedibus convellere, ac evertere. Hinc exitia non modò singulorum hominum & locorum, sed etiam populorum ac regionum. Nam arbores à radice extirpantur, silvæ ac nemora prosternuntur, classes disijciuntur, naves confringuntur & discernuntur, mœnia cum turribus diruuntur & solo æquantur.

Hic est ille Deus, qui mortalibus ventorum flatus pro libitu dispensat; hic à septentrione jubet avolare rigidum *Boream*, cui nomen ἀπὸ τῆς βοῆς, seu sono, & *Aquilo* dicitur ob velocitatem aquilæ volanti parem; qui de se gloriatur. 6. Metam.

Apta

Apta mihi vis est, vi tristia nubila pello,
 Vi freta concutio, nodosaque robora verto,
 Indurorque nives, & terras grandine pulso.
 Idem ego cum fratres campo sum nactus aperto,
 (Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor,
 Ut medius nostris concursibus insonet aether,
 Exhiantque cavis elisi nubibus ignes.
 Idem ego cum subii convexa foramina terræ,
 Supposuique ferox imis mea tæga cavernis,
 Sollicito manes, totumque tremoribus orbem.

De eodem Claudianus:

Cum gravis armatur Boreas, glaciæque minaci
 Hispidus, & Getica concretus grandine pennas.
 Huic procelloso, violento, & barbitio glaciato, horrenti Flaminj,
 occurrit è regione, & adversa fronte decertat nebulosus *Auster*, quasi
Hauster, ab hauriendis aquis. Notus etiam appellatur, ἀπὸ τῆς voridos,
 ab humore. Poeta ipsum *Pincernam* pluyiarum nuncupant. Alis volat
 madidis, vultu caliginoso, barba umbrosa, pennis & capillis roran-
 tibus; tempore maxime autumnali auras & terras infestat, ac morbos
 creat.

Idem *Æolus* pro regia sua potestate *Eurum* seu *Vulturum* penna-
 rum remigio nigrantem ab Oriente emittit; nomen habet ab εὐ & ἰέων,
 quod ab aurora flet, & trux insibilis auris. *Vulturum* dictus à vultu-
 ris volatu, quoniam alte resonat. Hic ventus flammeo halitu solet fru-
 ctus adurere, & fluctibus obruere rates. Poeta ipsum petulantem, pro-
 terturum, immitem, & nimbos agentem vocant.

Omnium placidissimus est *Zephyrus* seu *Favonius*, à favendo dictus;
 & *Zephyrus*, quasi ζῆνός φέρος vitam ferens, aut ζῆνός φέγων, alimoniam,
 unde victitamus, proferens. Plinius nominat eum, *genitalis humidi Spiritus*.
 Hic est Veris amœni comes & ductor, florum pater; facie juve-
 nili, tempora floribus redimitus, leniter spirans, mollis, mulcens, fa-
 cundans, roseus, odorifer, & placidas temperans horas. Nonnunquam
 tamen & ipse cum fratribus certamina miscet; quidque possit animus,
 cætera mitis, cum in iram concitatur, ostendit. De his fratribus Ovi-
 dius lib. 1. *Metam.*

----- vix nunc obsistitur illis

(Cum sua quisque regat diverso flamina tractu)

liii 2

Quin

Quin lanient mundum. Tanta est discordia fratrum.

Obsistit tamen illis Hippotades, & imperio continet ac compefcit, non minis tantum ostentatis, & objectis postibus: sed verbis etiam placidioribus, & ad mitigandum aptis. Hinc Maro. 1. *Aeneid.*

----- mollitque animos, & temperat iras.

Idem de eodem canit: quod

Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.

Ethica.

I. (a) Hac habenarum adductione & remissione quid aliud demonstratur, quam laudati Principis officium; nempe ut in populos subiectos imperium neque dure nimis & inclementer, neque dissolute & negligenter exercent. Bonus Princeps, inquit Seneca lib. 1. c. 18. de clement. Similis est patri, & ideo *pater patriæ* appellatur: patris autem est in severitate meminisse indulgentiæ, & in indulgentia disciplina. Neque enim minus Principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera, Sed hac de re nos alibi non uno in loco.

II. (b) *Æolo* similis est quilibet vir sapiens, qui novit moderari affectibus pro opportunitate, & negotiorum presentium: nunc enim conducit simulare iram, nunc dissimulare; sicut *Æolus* ventos retinet & emittit, uti libuerit. Quid autem est præclarior & laude dignior, quam sic in potestate habere permotiones animi, præsertim appetitionis irascentis, ut ad rationis legem & moderamen, velut in antro claudantur, rursusque, si necesse sit, temperato freno laxentur? Quisquis ita sibi imperare didicit, nã ego hunc potentior *Æolo* dixerim,

----- Cui Divum pater, atque hominum Rex

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

Appositè huc Tullius. 1. *Offic.* Objurgationes etiam nonnunquam incidunt necessariae, in quibus utendum est fortasse & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id tamen sic agendum est, ut ne ea facere videamur irati. Ad hanc rem etiam Salomon Prov. 16. *Spiritus ad irascendum facilem quis poterit sustinere?* Quasi diceret: Quis tanto robore & fortitudine præditus est, ut ventosum iracundie spiritum sub freno cohibere possit, ne subito erumpat, & obvia quæque turbine perfleret? Ducta similitudo à ventis: scimus autem, iratos naribus

(a) Laudati Principis officium. (b) Vir sapiens, & affectuum suorum dominus.

bus efflare spiritum seu halitum; hinc adagium: *fumantem urfi nasum ne tentaveris.*

Neque verò iræ tantum impetus sunt ad rationis moderamen flectendi, sed cæterarum quoque affectionum humanarum, præsertim cupiditatis, voluptatis, timoris commotiones opus habent Æolo prudenti, qui non sinat eas temerè velut discordes in prælia ventos procurrare, sed regat, domet, & premat habenis.

III. (c) Notandum est, quod Maro loc. cit. Æneid. Junonem inducat blandissima verba dantem Æolo, quibus eum ad tempestatem in mari adversus Trojanos concitandam adhortatur. Hoc scilicet faciunt Junones istæ, superbæ, iracundæ; quibus satis non est solis miscere cælum terræ, ipsùmque Acheronta movere, nisi viros etiam in partem suarum libidinum rapiant. Alexander Macedo ut Persepolin, nobilissimam Persidis urbem incenderet, Thais ei temulenta facem prætulit. Curt. lib. 5. *Celsa sedebat Æolus arce, sceptrum tenent;* quis hunc regem de sua quiete movit; & eum turbavit, qui turbas ventorum sceptrum suo domat; quis incitavit ad tempestatem in alieno regno, nempe Neptuni, exuscitandam? Juno fuit, femineâ fallaciâ blandiens. O quoties fit, ut Ratio, quam in capite, tanquam in Arce posuit Deus, per illecebras mulierum, aut pravarum libidinum, in gravissimas perturbationes, & regnorum ac provinciarum pestes rapiatur? Et quid mollius, ac effeminatius, quam illud Æoli:

----- tuus ô regina, quid optes

Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

Hoc dicunt, aguntque, qui femineis imperiis ac blandimentis aguntur. Cui non est lecta historia de *Nino* Assyriorum Rege, qui cum vel unum in diem uxori Semiramidi imperium permisisset, miser conjugis mandato in vincula coniectus, & imperio ac vita exutus est? Ælian. lib. 7. c. 1. Dio.

IV. (d) Subtiliùs fortassè per Junonem intelligas *Suspicionem* seu *Imaginationem* injuriæ, quâ homo correptus, inflatur velut Æolus, & turbulentos in omnem partem ventos, hoc est, furoris impetus spargit. Et enim Seneca teste, levissimis ex suspicionibus gravissimæ concitationes oriuntur. Et quid ingerit futilis hæc Juno. *Suspicio* inquam?

Incute vim ventis, submersasque obrue puppes.

Exere vires, & ostende, quid possit læsa patientia? quid injuria honori & famæ illata? quid utriusque defensio? Hic verò feroces surgunt

I i i 3

spiritus,

(c) *Feminarum imperium.* (d) *Suspicio causa iracundia.*

Spiritus, ultionis stimulat cupido, irarum flamina non fecus ac Eurus, Notusque ruunt, & vastos voluunt ad littora fluctus. Grandis oritur tempestas, eripitur dies menti, obfuscatur ratio, recto iudicio nox incubat atra, omnes animi facultates procellis involvuntur. Monet Horatius lib. I. epist. ad Lolium:

Ira furor brevis est: animum rege; qui nisi pareat,

Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce catena.

V. (e) Boream immodicè vires suas jactantem suprà audivimus: quò denotatur, multa quidem per vim & terrorem obtineri; sed tamen verissimum illud esse Sallustii dictum: *Savitia plus timoris, quam potentie addit.* Imperia crudelia magis acerba sunt, quàm diuturna. Sapissimè fit, ut furorem suum effundat in scopulum Aquilo, & ibi frangatur maximè, ubi maximè debacchatur. Non rarò plus potuit leni flamine Zephyrus, quàm vesano murmure Ventus ille rapidus. Hoc veteri apologo docemur. Fortè Zephyrus & Boreas certamen inter se inibant, utrius majores essent vires. Placuit experimentum in viatore sumere, quem, qui prior vestibus spoliasset, nã is prævaleret robore. Institit initium facere Boreas, meras efflare hiemes, horrendum furere, & omni flatuum conatu id agere, ut viatoris capiti pileum, aut lateri pallium deriperet. Frustra fuit impetus. Hoc enim ut agi viator sensit, rei sue fatagens obniti cœpit pro viribus: pileum, ne volaret, strictius sibi imprimere: pallium, ne viventi abriperetur, brachiis subjicere, illòque se involuere. Ea in adversum contentione fractus Boreas, animum despondit, alas demisit. Zephyrus alium instituens vincendi modum, orsus est quàm mollissimè spirare, tepidulam afflare auram, dulci blandiri sibilo, placido mulcere ventulo caput & ora viatoris, lenissimè per ipsas subire vestes, totumque hominis corpus leniter demulcere. Calebat, jam antè Solis & itineris æstu viator, arebant fauces, languebant humeri, succidebant pedes, sudor per artus fluebat; ipsèque jam sibi grande pondus fuerat, nedum vestis. Ergo ventilatur strophio vertex, pileus ponitur, solvitur sinus, rejicitur penula; jamque umbraculum prospicit, seque subter opacam arborem sternit humi, ut seminudus exciperet blandi flabra Favonii. Ita victoria cessit Zephyro. Mansuetudo lenè tormentum adhibet animo; tunc vincit maximè, cum cedere videtur & vinci. Herba, cui nomen ocymus, modicè compressa reddit odorem; durius attrita, amittit suavitatem.

VI. (f)

(e) Major est vis in moderatione, quàm in impetu.

VI. (f) Varia ducuntur à ventis Symbola ; exempli gratiâ , fingitur emblemata *Venti* , totam silvam , minores , majorésque arbores impellentis. Lemma : *Omnes hac tangimur aurâ*. Leniter aspirat favor , honoris cupidis , & ultrò inflectit ad obsequia , quando suaviolem audiunt susurrum. 2. Ventus inclusus sub terra , eâ perruptâ emergit in altum. Lemma : *Fit via vi*. In eos conveit ; qui per vim grassantur ad id ; quòd concupiscunt , etsi vertendâ sint cum montibus urbes. 3. Ventus impellit flammam ab æde incensa ad vicinas domos. Lemma. *Incendia nutrit*. Unius ambitio hominis quàm latè grassatur bellorum incendiis ! 4. Ventus turres evertit , & arborum majores : opprimit minores. Lemma : *Magna rapit , minora obruit*. Ambitio pares non fert : Minores proculcat ; Majores sternit. 5. Ventus nimius extinguit , moderatus alit ignem in facibus. Lemma. *Omne nimium obruit*. Intra mediocritatem te contine.

VII. (g) Atque hæc de Æolo bucculento , & discordibus eius filiis. Æoli nomine possis illos afficere , qui buccis tumentibus vorant , & malas , vel ut tympana , superingestis avidè cibis distendunt. Et illos , qui saburrati abdomine , animam habent pro sale , pendent palæaria colli , aqualiculus ut promontorium prominet , caput Phæbeæ lampadis instar in orbem protuberat , os & nares auram , ut bubali reciprocant. Et illos , qui mendaciis assueti , nihil nisi fumum & ventum exhalant , aut , quod in proverbii est , *ventos pascunt*. Vide plura Symbolo 66. in Ethica n. 3. Daniel Bartolus in Geographia Politico-morali , cap. 1. Æoli antrum comparat Spei Aulicorum , quos cernas intumescere , fremere , circumvolare inquietos , turbidos , violentos , inter se depræliantes flamine occultarum calumniarum , aut turbinibus apertarum inimicitiarum , tanto cum furore & fremitu , ut Æoli poëtica spelunca nec tertiam vesania huius partem figmento suo æquârit. Quæ tempestates & concussiones æmulorum , cum in sublime evolant ii , qui in fundo jacuerant ; & in præceps eunt , qui in apice steterant ! Quoties vidit Roma histrionem quempiam , citharædum , libertum uno die ad tantos honores pervenisse , quantas eodem Patri eius aliquis , Senator , aut Consularis amiserat ; hereditatem nempe , à pluribus retro sæculis majorum industriâ congestam. Quid dicam ? quòd Aulicorum vota & spes alia quoque ratione ventis sunt persimiles , quòd naturâ suâ pendere , nasci , & consistere soleant in aëre , spirare , & panè vivere ex aëre. Ut adeò nulla reperiaturs Aula , in quam non quadret nomen illud : *Domus Ventorum* , Hæc ille.

SYM

(f) Symbola à ventis desumpta. (g) Quinam sint Æoli,